





DISCURSUS ACADEMICUS  
INAUGURALIS

Ex

Tit. 6. lib. 4. Inst. Imp. Justiniani,

De

ACTIONIBUS.

Quam

AUSPICIO

SACROSANCTÆ TRIADOS

*Ex permisso & Autoritate*

MAGNIFICI, NOBILISSIMI ET AM-  
PLISSIMI ICTORUM ORDINIS IN CELE-  
BERRIMA ARGENTORATIENSIS  
UNIVERSITATE.

*Pro Licentia summos in utroq; jure honores Doctores &  
privilegia, ritè sollemniterq; consequendi.*

Publicè in Auditorio Novo, mense Junio,  
diebus VI. & VIII, instituit

JOHANNES JACOBUS AGRICOLA,  
SPIRA NEMES.



ARGENTORATI,


Imprimebant PAULI LEDERTZ p. m. Heredes.

M. DC. XLII.

30 1.  
Sup. VII  
XII  
1642, 1.

1  
IX

KOEN. BIBL.  
DER  
UNIVERS.  
HALLE.


**N**gentem procul dubio afferet tibi Auditor benevole, Lector candide, admirationem, conscriptam disputationem à me conversam in discursum Academicum? sed ne diutius hareas admiratione, scias velim, cœli, terræ, reliquarumque creaturarum Reſtoris Omnipotentis dispositionem antecellere atq; tollere hominis propositionem, qui me conantem rerum mearum plenius satagere tertianâ feбри graviter visita- vit, ut vix eloqui, nedum concertationibus validissimis longas consu- mere horas valerē, e contrario conqueri auderem de fallaci hominum spe fragiliq; fortunâ & vanis nostris contentionibus, quæ in medio spa- cio sæpè franguntur & corruunt & antè in ipso portu obruuntur, quam portum conspicerè potuerunt. Egregiam itidem in admirationem quin rapiaris iuris me alumnum totis conari viribus spinosissimarum ma- teriarum judicialium thronum præ ceteris præclarum & arduum at- tingere, nullus dubito. Tuæ admirationi subscribent eminentissima Themidos fulcra. IASONI viro in omni disciplinarum genere exer- citatissimo tadio fuit materiæ prolixitas: Oldendorpium IC. Clariss. de- terruit fermè diversarum actionum gravitas, ep. dedic. progymn. Et quos non attonitos reddidisse dices vastum hujus studii Oceanum in tantum, ut pleriq; multum sese olei ac operæ consumpsisse, vix au- tem ad præfixum decentemq; scopum collimare potuisse indignatione quadam clamitaverint? Quid quod veterum ICtorum traditiones in hanc intricatissimam materiam nihil penè aliud præter opinionum sapiant congeriē & sylvam. Quis non cum Nobiliss. ICto Ioachimo Myn- singero Instit. lib. 4. tit. 6. in pr. Rubr. n. 3. in conscriptis superiori secu- lo actionum illustrationibus hujusque tituli commentariis desideravit, & methodicum explicandarum rerum ordinem & amicam docendi simplicitatem, tantoperè, ut qui huic studio operam navare conten- dat, nihilo plus agere quam in labyrinthum se inextricabilem conji- cere credatur. Neq; inficias i vero ejusmodi conatus non admiratione modo dignos verum etiam perquam reperiri difficiles, juxta illud tri- tissimum: Difficilia quæ pulchra. Pleni sunt hac de difficultate omnes libri, plena sapientum voces, plena exemplorum vetustas. Ast cum

par sit omnes omnia experiri, qui res magnas seu magnoperè expe-  
tendas concupiscunt, & hac sola in universa Iuris parte cognitio uber-  
rimis Iurisprudentiæ cultori pariat fructus & commoditates, sola in  
foro maximum habeat usum, egoque ab hinc quatuor annis in inclu-  
ta Marpurgensium Universitate spontaneo motu humeris meis impo-  
suissem scrupulosissimam Exceptionum Logico methodicè pertracta-  
tarum concertationem, difficultati quidpiam propter comitem Vti-  
litatem condonandum esse recto rectius (ni fallor) autumavi, imò  
diomedæ necessitatis persuasum mihi habui commotus Philosopho-  
rum vulgato: Contraria juxta se posita clarius elucescere: ad com-  
pendiosè proficuum actionum enodationem, Exceptionum utpote ma-  
trem, considerationis meæ aciem dirigere, inprimis ubi per annorum  
aliquot spacium variarum regionum judiciis mihi inservienti ad u-  
tilitatem accessit, Nobilissimorum Doctissimorumque Consangui-  
neorum & Affinium instinctus, cui refragari æque religiosum foret  
piaculum ac perniciosum periculum. Nihil enim magis damno-  
sum mortalibus excogitari unquam potest, quàm imitari aliorum  
vanitatem & id negligere quod necessarium est. Nihil reputo tur-  
pius quàm meris hominum ingeniosorum nugamentis patulam præ-  
bere mentem, iisdemque indesinenter insistere. Verumtamen He-  
rostratina ne accuser audaciæ nève nimis altum sapere, aut Majores  
de ponte de jicere, aut solus palmam deportare velle videar, quando-  
quidem nullius tam singularis industria, tam accurata sobertia, nul-  
lius penè dicendi aut scribendi tanta vis, ut materiam unius horule  
spatio depingere possit: imò nec ipsi Eloquentiæ Principes Cicero & De-  
mosthenes qui Iovis cerebro & exquisita lactea Veneris facundia ex-  
ornati fuere, depingere possent, discursum meum ita institui, ut  
prima tantum difficilis hujus materiæ principia repræsentet deducta,  
ut in infinitas vel oblongas non excreseat paginas, non gravis, non in-  
tricatus, verum perspicuus & quod fieri potest succinctus effulgeat,  
memor illius quod ex minimo etiam artificio cognosci queat artifex  
& ex unguibus LEO, ceteras Iuris apices relicturus grandioris ætatis,  
subtilioris genii & felicioris ingenii hominibus, siquidem in Magnis.

— Et voluisse sat est.

Sed



*Sed quia*

*Nullius est felix conatus & utilis unquam,  
Consilium si non detq; juvetq; DEUS:  
Hoc felix faustumq; DEUS velit atq; secundet.  
Telamq; inceptam finiat Ille, rogo.*

Quâ præmissâ nominis Divini invocacione accedo ad rem ipsam

I.



Uandoquidem ob intimam illam & summam quæ inter omnes homines constituta est, cogitationem tam naturalem, l. 3. de Iustit. & Iur. l. 12. §. 4. de accus. Genes. 9. v. 5. quàm spiritualem, c. ad mensam 11. quest. 3. nihil quicquam humanæ prosapiei convenientius & nihil ipso homine dignius *Paling. in Zod. vit. in taur. pag. mibi. 36. in fin.* quàm ut homo hominem enormiter non defraudet, potius ei proficiat & beneficiat *text. in l. 7. ff. de serv. export. l. 17. §. 3. commodat. arg. l. 39. ff. de negot. gest. & alter alterum velut proximum & naturæ communis d. §. 4. participem diligat c. charitas est. vers. proximos autem de pœnit. dist. 2.* Optimè profectò à veteribus Jurisprudentiæ columnis & antecessoribus Univerſum jus partitum est in tria præcepta hæc: *Tria Iuris præcepta.*  
1. Honestè vivere: 2. Alterum non ledere, & 3. Jus suum cuique tribuere. *lib. 1. Instir. tit. 1. §. juris præcepta.*

2. Quorum primum respicit nosmet ipsos, vitam, nostrosque mores: alterum proximi personam, corpus, existimationem: tertium proximi res, fortunas, commercia, honores, dignitates &c. Contra quod plus quàm duo priora tam multiformiter peccatur, ut plures teste experientia optima rerum magistra. c. 6. princ. ext. de elect. in 6. l. 37. ff. de legib, dehinc ebulliant discordiæ, controversiæ, actiones & factiones, quam ex equo illo Trajano milites transfuisse Poëta fabulantur, quæ omnia nisi legitimis discernantur modis, litium quæ finis ordinario Magistratus seu Judicis auxilio juris sc. pronunciatione inveniatur, illicitos nonnunquam procrearent defensionis

A 3

tionis

tionis ætus, privatisque rixis utrinque in plures malorum occasio-  
nes multiplicatis publica tranquillitas turbaretur.

*Tria juris  
objecta.*

3. Omne autem jus quo utimur vel ad personas pertinet, qui-  
bus jus redditur; vel ad res, de quibus redditur; vel ad Actiones sive  
Judicia per quæ jus redditur. *l. 1. & 2. de stat. hom. §. ult. Instit. de Jur.  
nat. gent.* Nulla etenim juris disputatio proponitur, in qua non aut  
de personis, aut de rebus, aut de judiciis aut de his simul omnibus  
quærat. Licet itaque in postrema materia explicanda, videlicet  
quomodo agi & iudicio res inter litigatores peragi ac suum cuique  
tribui debeat, Pandectæ totæ consumantur; ut tamen melius prin-  
cipia hujus tertii objecti intelligantur, majus operæ precium fecisse  
existimabitur paulò plenius Isagoge quadam commonstrans tritis-  
simam Juris viam & quemadmodum directò, ne supervacaneis actio-  
num modis iudicia onerentur, nève bona causa malè agendo, quod  
sæpissimè fieri assolet, perdatur, rerum suarum suscipere tutelam &  
defensionem concessum sit.

4. Hoc ut eò facilius lotis (quod poscunt) manibus assequar,  
omniaque accuratiore gaudeant methodo, utpote per quam intel-  
lectæ res magis delectant animos, mentes magis illuminant & me-  
moriæ alioqui labilem. *l. 44. princ. ff. de acquir. possess. l. 28. ff. de pro-  
bat. l. 8. C. qui testam. fac. poss. cum primis adjuvant, certis veluti li-  
mitibus Actionum materiam dijudicabimus, examinaturi: Quid  
sint, quæ earum origo, quæ causæ, quot modis dividantur, quibus  
competant, quæ partes, quarum rerum actio non detur, tandem fi-  
niantur & evanescant & si quæ alia ad rhombum facere videbuntur,*

5. Verùm quia in omni disciplina præcipuè verò Jurispruden-  
tia rerum potior, verborum autem prior est habenda ratio. *l. 1. ff. de  
l. & l. 1. ff. de suspect. tutor. l. 1. ff. de reb. cred.* primùm de notatione  
nominis agendum erit.

6. Verbum igitur AGERE latissimè patet, communiter si-  
gnificat facere & gerere, quandoque pro actu ponitur, *l. labeo. 19. ff.  
de V. S. apud Callistratum tractare sonat in l. non intelligitur, §. 1. vers.  
quando autem. l. 1 §. 3. ibi agunt. ff. de pact.* Ulpianus accipit pro præ-  
esse. *l. 2. ff. de offic. iuridic. Alex.* Agere etiam is videtur qui exceptio-  
ne utitur. *Ulpian. l. 1. ff. de Except. præscr. & præjud. Accurs. & Vigel. in  
§. sed neq. Instit. de Testam.* generalissimum adnotant. Sed quia verba  
secundum subjectam materiam accipienda sunt. *l. si uno. ff. ubi DD.  
locati.* propriè hic accipitur pro jure experiri, & iudicio persequi,  
quam



quam significationem Ulpian. comprobat in l. Barbarius. 3. ff. de of-  
fic. Prator.

7. Quocircà Actionis verbo hic non comprehendimus illam  
actionem quam Physiologi assimilationem qualitatis sensibilis a-  
gentis ad qualitatem patientem, transmutantem corpus, motum &  
formam accidentariam volunt, *Magis. Phys. lib. 3. tit. 9.* Neque illud  
genus accidentis, secundum quod Primæ Philosophiæ perscrutato-  
res principium activum in actum reduci scribunt & actionem vo-  
cant, *Scheibl. Metaphys. lib. 2. tit. 10.* Multò minùs illas actiones, sive  
voluntarias, quarum principium est in ipso agente, singulas actio-  
nis circumstantias sciente, *Donald. Eth. lib. 2. tit. 11. Siebenthal Colleg.  
Ethic. exercit. 5. th. 13.* sive involuntas, quarum principium aliunde pro-  
venire & involuntas vel Imprudentes dividi Ethicis placuit. *Donald.  
Ethic. lib. 2. tit. 12. Siebenthal. Colleg. Ethic. exerc. dict. th. 14.* Verum  
quamvis defensionalem persecutoriam, sive ea sit replicatio, sive du-  
plicatio, triplicatio, sive quadruplicatio à contr. sens. l. 2. §. 1. & l. 22.  
ff. de Except. seu, ut acervatim dicam, omnem omnium judiciorum  
ordinem, principium, cujusque nempe rei potissimam partem l. si  
procuratorem. 8. in princ. mandat. l. 1. ff. de O. I. progressum atque  
exitum.

8. Satis superque proposità hâc Actionis explicatione rectif. *Definitio:*  
simè progredimur ad ejus definitionem à Celso Jcto ita traditam:  
Actio nihil aliud est quàm **JUS PERSEQUENDI** in judicio  
**QUOD SIBI DEBETUR.** in l. nihil aliud. 51. ff. de oblig. &  
Actionib. germanicè, ein *Rechtlicher Anspruch / Forderung oder  
Rechtshärtige Klag.* Indeque dicta actio, quod improbos & perfid. *Notatio.*  
dos ad judicia agat. *Theoph. his.*

9. Singula profectò hujus definitionis verba majusculis lite-  
ris expressa suam habent ἐπέγδαρ, & quidem **PRIMUM (JUS)** *Genus.*  
cujus species sunt: dominium, obligatio, actio, & similes: deno-  
tat Genus simul & causam efficientem: Legitima enim quædam fa- *Causa effi-*  
cultas est & potestas, quæ jure & Legibus est introducta & conces- *ciens.*  
sa, vana aliàs essent obligationes, nisi liceat ab invito exigere. l. de- *Origo.*  
bitor. 108. ff. de V. S. Per quam interpretationem uno quasi ictu su-  
stulerimus è medio omnes istas controversias multis Gordio nodo  
longè intricatiores & ab interpretibus sparsim motas, cujus nimi-  
rum juris, civilis ne an gentium sit actio. *Myns. in Instut. h. t. in princ.*  
n. 2. **ALTERUM** denotat Proprium & differentiam. Proprium, *Proprium.*  
quia



Differen-  
tia.

Causa ma-  
terialis,  
ex qua.

quia nemo privatim & sua authoritate sibi nec suis jus dicere debet. l. 10. ff. de iurisdic. Differentiam, quia petitio in rem est, actio in personam l. 178. §. 2. ff. de V. S. quia itidem hoc secernuntur actiones à postulationibus extrajudicialibus, & extraordinaria, citraque solennitatem iudicii facta officii iudicis imploratione. S U B S E-  
QUENTIA notant causam materialem, Ex qua, quales sunt facta & obligationes, de quibus postea, Indicantque in verbo Debetur, tam realem quam personalem ibi definiri actionem. l. 178. §. 3. ff. de V. S. quod itidem DD. communiter affirmant Ias. n. 104. Donell. n. 10. Harpr. n. 17. Dn. Vultej. n. 106. Bronch. cent. 4. aff. 30. imò & civilem & criminalem, l. 1. & 2. ff. de crim. stellio, l. penult. ff. si ex nox. caus. agatur. tot. tit. C. quando civilis actio præjudic. crim. ut non immeritò eam definitionem contra alios tueatur novissimè Phil. Matth. in suo Comment. div. R. l. l. 202. n. 6. & 7.

10. Hic antequam pedem figamus in obligationis nexum, oblivioni non tradendum censeo. 1. Actionem in singulari rectè defini non obstantibus pluribus actionibus. 2. Rectiorem tituli inscriptionem esse de Actionibus quam de Agendo, quia annuente Accurs. hoc est facti illud juris. Et 3. sepositis aliorum interpretationibus pro loquendi usu receptiore Actorem eum dici qui quid iudicio petit. Vlpian. l. quæ omnia. 25. ff. de procur. vel qui actionem proponit & prior ad iudicem provocat. l. in tribus. 13. l. qui prior. 29. ff. de iudiciis & ubi quisq; ager. vel conven. deb. Wesenb. in paratit. eod. tit. n. 11. qui in ceteris omnibus actionibus probare tenetur. l. eum qui. 22. ff. de probat. & presumpt. eoque non probante, reus, tametsi ipse nihil ad sui defensionem probaverit (neque enim de jure rei querendum est ante quam de jure actoris constituerit, argum. l. 4. C. de edendo) absolvatur. l. actor. 23. C. de probat. l. ei incumbit. 2. ff. de probat. & presumpt. Spec. de actio. & petit. §. in anterib. vers. si verò non habes. & tit. de Except. §. viso. vers. illud quoq;. Ludov. Roman. in l. cum mulier. ff. solut. matrimon. Alexand. de Imol. in l. decem. ff. de V. O.

11. Nunc quia actor in agendo solam obligationem urget per l. Arrianus. 47. ff. de O. & A. absq; ulterioribus anfractibus ad eam revertat, quæ lib. 2. Instit. Iustin. tit. 2. de reb. corpor. & incorpor. refertur inter res, non autem actio, si fortè quod obligatio privatim & nostro arbitrio contrahatur, & non secus atque dominium rerum per nosmet & eos qui in nostra potestate sunt, nobis acquiratur, cum actiones quamvis ob facultatem, causam & effectum in bonis nostris esse  
judi-

judicentur. *l. id apud se. 183. ff. de V. S.* tamen non ex nostro: sed ex  
 jus dicentis quasi arbitrio pendeant, cum & certæ solennesque olim  
 essent, ordinariæque & impetrarentur à Prætorè & darentur. *l. 2. §.*  
*deinde ex his. 6. ff. de Orig. Jur.* vel etiam denegarentur. *l. veluti. 27. l.*  
*si ita stipulatus fuero, Testi. 97. § 2. ff. de V. O.* Certè obligationis co-  
 gnitio tam egregia est, tamque ad rem facit, ut facilè me veniam im-  
 petraturum speraverim si diutius justo illi inhæserim. Obligatio ita-  
 que est juris vinculum quo necessitate adstringimur alicujus rei sol-  
 vendæ, *in princ. Inst. de oblig.* Earum quædam sunt 1. Civiles, quæ-  
 dam Prætorix. 2. Alia naturalis tantum, alia civilis solùm, alia  
 naturalis & civilis simul, quæ vulgò mixta vocatur. 3. Alia est prin-  
 cipalis, alia accessoria. 4. Nonnullæ ex Contractu vel quasi: non-  
 nullæ ex maleficio vel quasi nascuntur. 5. Quædam re contrahun-  
 tur, quædam verbis, aliæ literis, aliæ consensu. *l. 1. in princ. & §. 1. ff.*  
*de oblig. & act.* In hac obligationum materia potissimum opus est his  
 duobus: CERTA SCIENTIA & LIBERA VOLUN-  
 TATE. Certam dico, quæ erroribus non est agitata, nam nihil  
 tam cum consensu pugnat ut error, siquidem consensus aliud non  
 est, quàm duorum idem sentientium conspiratio *fac. l. 1. §. 2. ff. de*  
*pac. quod in errore non contingit ubi agentium voluntates in di-*  
*versas partes discedunt. Sed de his satis.*

12. Præliminaribus hisce extremis quasi labiis tactis confide-  
 randa venit Causa materialis circa quam, utpote sunt Personæ &  
 Res, quæ peperit filiam, Actionum videlicet divisionem primam,  
 i. e. præcipuam ac generalissimam, ubi concipiuntur vel in Rem, di-  
 ctæ Reales, vel in personam, dictæ Personales. *l. actionum. 25. in*  
*princ. ff. de oblig. & act.* quibus quidam annumerant Mixtas. Actio  
 Realis est, qua rem nostram, quæ ab aliquo possidetur, petimus *d. l.*  
*25. §. 1. l. 1. ff. de Rei Vindic.* Unde merè Reales actiones propriam  
 habent notam. I. Ex persona vel Rei, vel Actoris: Rei, ut sit rei  
 controversæ possessor vel quasi, nullo jure ex persona sua obligatus,  
 libereturque, si sine dolo & culpa desinat possidere. Ex persona  
 Actoris, ut jus in re se habere intendat & rei dominium, quod tri-  
 plex constituitur: Directum, Utile & Quasi: suum esse dicat. Do-  
 minium directum is habet, qui directus rei est dominus. Utile por-  
 rigitur ei, qui in re petita, utile habet dominium, quales sunt Vasal-  
 lus & Emphyteuta. *Schneid. in tit. de acti. Zas. ibid. Lag. part. 4. meth.*  
*cap. 12. n. 10.* Is qui utrumque habet, PLENUM dominium ha-  
 bere

Explic. 5. r.  
 Causa ma-  
 terialis cir-  
 ca quam.  
 Hujus di-  
 visio prima  
 in Reales,  
 Personales  
 & Mixtas.

B



bere dicitur, ut est in omnibus bonis allodialibus & hæreditariis, *Myns. Instit. lib. 2. in rubr. n. 18.* Quasi dominium habet is, qui bona fide, & ignorans, ex justa causa accepit rem aliquam ab eo qui non sit dominus. *Itid. ibid. n. 24.* II. Ex R E, ut comitetur rem ad quemcunque ejus rei possessio perveniat: in rem ipsam intentio dirigatur ac judicandum sit, rem esse, vel non esse actoris, non illi dari vel non dari debere.

13. Postea sunt Actiones merè Reales vel Rerum corporali-  
lium, quæ sui natura tangi possunt, veluti fundus. *Gel. lib. 5. cap. 15.*  
homo, vestis, aurum, argentum, quarum quædam sunt mobiles,  
ut vestis, mensa: se moventes, ut animalia; Immobiles, ut ea  
quæ solo continentur. *l. rerum mixtura, 30. de Usurpat. & Usucap.*  
vel incorporali-um, quæ tangi non possunt, veluti ea quæ in jure  
non in corpore consistunt, sicut hæreditas, Ususfructus, Usus, obli-  
gatio, dos, peculium, possessio & servitus, quo nomine datur aut  
Explic. §. 2 Confessoria, quæ uti Cujac. placet *in parat. ff. si servit. vindic.* est  
vindictio servitutis, seu, actio competens alicui ratione juris vel  
servitutis sibi debita, vel fundo suo, vel quasi suo, directa contra im-  
pedientem. De hac actione prolixè tractat *Zal. dict. §. aq. 2. Myns.*  
*ibid. Instit. num. 23.* Ea ipsa oritur ex jure, quo acquisita est servitus,  
quam vindicare cupimus, ut ex pacto, quo nobis constituta est ser-  
vitus: vel ultima voluntate, qua nobis est relicta; aut Negatoria,  
quæ servitutum negat, libertatem verò asserit Cujac. *in parat. ff. si*  
*servit. vindic.* seu est talis actio, quæ contendimus res nostras non  
servire rebus vel personæ illius, qui prætendit jus sibi in iis debe-  
ri. Essent adhuc hæc loci plura explicanda, at quid multa de ser-  
vutibus, cum plura restent dicenda, quam uti speramus absol-  
vi posse.

14. Hæc de actionibus Realibus sequuntur Personales, quibus  
convenimus eum qui nobis obligatus est vel ex contractu vel male-  
ficio vel quasi. Aliter eas definit Ulpian. *in l. actionum. 25. ff. de obli-*  
*gat & Act.* Personales dictæ, quia in persona litigantis & ejus quem  
sibi obligatum habet ita hærent defixæ, ut eas non ingrediantur nisi  
fictione juris, i. e. contra tertium vel successorem singularem non  
dentur. Hæc personales actiones hanc habent notam: quod rem non  
comitetur nisi in rem scriptæ sunt: nihil referat reus possideat rem  
debitam nec ne: quodque judicandum, à reo vel aliquid dari vel  
ferri

6  
fieri debere. Sunt etiam partim Civiles aut Pratoriae, partim bonae fidei seu stricti juris. Primaria actionum Realium & Personalium differentia ista est: ut hæc obligationem qua nobis aliquid dari l. 167. ff. de R. I. l. ubi autem. 75. §. fin. ff. de V. O. fieri ve contendamus; Alterâ verò dominium nostrum vindicemus à possidente, adeò ut nunquam hæc detur ultrò possidenti nisi in uno casu. Quis autem ille sit, ita obscurum est, ut citius Augiæ stabulum repurgaveris, quàm eum inveneris. Quæritur is casus ab innumeris, tot annos & quidem sedulo, sed infelix labor quo quæritur tam diu & anxie, nondum est inventus. Hic Justinianus idem facere videtur, cum ait in Pandectarum libris quodam loco casum hunc latere, ac si quis magna & densa sylva lepusculum esse diceret & locum ubi is esset non demonstraret. Donell. Ferret. & Iul. Pacius in analis. h. legunt SANE NON UNO CASU, quod improbat Robert. 1. recept. lect. 18. Anthon. Matth. putat se eum venisse in l. pen. & ult. ff. de public. in rem act. Quicquid sit quod alii sentiant, si aliquis casus expressè dandus est, puto eum latere in l. 27. ff. de solut. cum Everh. Balck. elect. jur. civil. lib. 2. c. 4. aut nullibi in jure extare propter l. 1. §. interdictum autem. 6. ff. uti possid.

15. Ecce hîc via panditur inquirendi: An actio in rem utilior sit ea quæ intentatur in personam? Ad affirmativam ducor ex l. plus cautionis. 25. ff. de R. I. cujus exemplificatio fieri potest in eo, quod dici solet melius esse pignori incumbere quàm in personam agere. §. furti. 13. & seq. Instit. de oblig. quæ ex delict. nascuntur & l. itaq. 12. §. fin. ff. de furtis. Et hoc inde patet quod actiones reales firmiores sunt, quia dantur contra quemlibet possidentem. §. 1. Instit. de Action. Secus est in personalibus, nam actio personalis, prout dixi, contra singularem successorem non dirigitur. l. 1. §. si heres percepto fundo ad Trebell. l. fin. de contrah. empt. l. cum fundo. 36. ubi Bald. de servitut. rustic. prædior.

16. Absolutis duabus & merè realibus & personalibus actionibus, superest ut de actionibus mixtis loquamur. Mixtæ actiones tam in rem quàm in personam sunt quatuor sequentes: Communi dividundo, Familiæ erciscundæ, finium regundorum & Hæreditatis petitio. l. 37. §. 1. ff. de oblig. & Act. Actio communi dividundo inter eos redditur, inter quos aliquid commune est vel fortuna vel voluntate ut dividatur, l. 1. 2. 3. 4. & alibi. ff. comm. divid. Actio familiæ erciscundæ ex L. XII. Tabularum proficiscitur, Gajus l. 1. in pr.

*ff. famil. ercisc.* competens cohæredibus de hæreditate dividenda. modo *d. l. 1. in princ.* Reliqua, quidque in hoc iudicium veniat, disces *ex tit. famil. ercisc. ff. & C.* Eriscere autem familiam, hæreditatem dividere significat. Actio finium regundorum est quæ inter confines redditur de agrorum finibus regundis. Regere autem hic accipitur pro discernere vel constituere. *Myns. hic. §. 20.* Et hæ tres actiones ideo constitutæ sunt, ut communiõ (quæ contentiones gignere solet. *l. cum pater. 77. §. dulcissimis. 30. ff. de legat. 2.*) tollatur *l. in communiõ. fin. C. comm. divid.* Petitio hereditatis quo jure, quibusve competat, declarat *10. tit. de petit. heredit.* Compendiosè quoque sed exactè, quæ huc spectant, Placentinus pertractat *tit. 3. lib. de Rei vindic. ad quem Studiosum remitto.*

17. Nova ibi repullulascit quæstio: Utrum quis alterius nomine ex jam recensitis actionibus actionem intentare possit? Ego non obstante *l. 123. ff. de R. I.* Respondeo posse, si modò habeat mandatum aut sit persona conjuncta. Huic responsioni assentit Imper. Justinianus *in princ. Instit. de iis per quos agere poss.* ubi quemlibet hominem aut alieno aut suo nomine agere posse scribit: alieno, veluti procuratorio, tutorio vel curatorio nomine: Rationem hujus affirmativæ responsionis pete *ex Disputat. habita Marpurgi, anno 1638. de Exceptionibus &c. thes. 8. circa fin.* Cui adde, quòd aliàs si plures sint rei credendi ac singuli debitum persequi velint, quivis non nisi pro sua quota agere possent.

Explic. §.  
3. ad II.  
Dispositio. 2.  
ex causa  
efficiente  
in Civiles  
Prætorias  
& stricti  
juris.

18. Dividuntur præterea à causa efficiente merè Reales actiones, partim in civiles, partim in prætorias, *in l. actionum. 25. §. ult. ff. de oblig. & act. l. in honorariis. 35. ff. eod. l. solent. 15. in fin. ff. de præscript. verb.* Civiles ex dicuntur esse, quæ ex legitimis & civilibus causis, i. e. ex lege sive quacunque alia juris parte præter quam magistratum edicto legitima causa. §. *præjudiciales Instit. hic.* descendunt §. *sed ista Instit. 3. hic.* Prætorias, quas & honorarias Ulpian. *d. l. actionum. 25. §. fin. & Paulus l. in honorariis. ff. de oblig. & Act.* appellârunt, sunt, quas olim Prætor hodiè Marchiones & Episcopi ex sua Jurisdictione comparatas habent, & ferè contra exactam rationem juris civilis in quæ defectum actionum civilium ex æquitate introductæ videntur, & hæ iterum partim sunt Reales, partim Personales. Reales, ea quæ vel ad vindicandum id quod mero jure civili nondum usucaptum est, ut Publicana vel ad rescindendum quod mero jure usucaptum est, ut Recissoria: vel ad revocandum, quod revera, licet in fraudem

fraudem vel Creditorum vel patronorum, alienatum est, ut Pauliana, Faviana, Calvisiana: vel ad persequendum, quod non suum nec traditum, sed tantum vel expresse vel tacite obligatum est, ut Serviana & quasi Serviana: vel ad praedictum aliarum actionum quae in iudicium deductae sunt, & alias mero jure consisterent, ut an aliquis sit liber nec ne, an libertus nec ne, & an ex liberis nec ne? PER-SONALES: quae sunt vel Rei persecutoriae vel Poenales: Rei persecutoriae, ex quae vel ex nullo pacto tantum, ut de constituta pecunia: vel ex contractu eorum qui in nostra potestate sunt, quorum nomine ipso jure non tenemur, ut de peculio: vel ex simplici iurejurando, licet revera nihil debeatur, idque propter iurisjurandi religionem, & propter l. 5. §. 2. l. 9. §. 1. l. 18. ff. de iurejur.

19. In illam ibi incidimus quaestionem an condemnatus ob praestitum ab adversario iuramentum, possit appellare? Negant DD. ex l. generaliter. 12. C. de reb. creditis. Et hanc negativam in iudicio Grietzilensi Frisiae Orientalis observatam memini in Sachen Hersch: Jörg Rühorns / contr. pastorem Tobiam Nordensem, ubi appellans ad superiorem Judicem, cum causae principalis jactura certa pecuniae summa multatus fuit.

20. Restant actiones Poenales, quae dantur in eum qui aut ex albo Praetoris quid corrupit, aut patrem vel patronum sine venia, in jus vocavit, aut in jus vocatum vi exemit vel ab alio eximi curavit, item furti, rapinae, Legis Aquiliae. Et is qui dolo malo ex albo Praetoris quid corrupit tenetur ad poenam quinquaginta aureorum. Alias quoque ex maleficiis oriri possunt poenales actiones innumerabiles, non quidem quod numerari nequeant, sed idcirco innumerabiles dictae, quia de facili non possunt numerari. Accurs. Unde dicitur non posse fieri, quod vix fieri potest. l. 125. Nepos Proculo. ff. de V. S. Expl. §. 12.

21. Quis ex jam recensitis dubitationis alea non jactabitur: An poena 50. aureorum in parentibus tantum & patronis, an vero in reliquis etiam personis in l. 2. & seqq. ff. de in jus voc. enarratis, si spreto magistratus auctoritate in jus vocentur, locum obtineat? Negativae partes majori aequitate tueri posse videtur, quia stricta poenarum injunctio odiosa est, odiosa autem non facile in consequentiam trahenda sunt & poenae potius restringendae quam ampliandae. l. si praes. 32. l. interpretatione. 42. ff. de poenis.

22. Succedunt actiones praedictiales in rem: quibus de statu alicujus personae contenditur & efficiunt, ut re de statu hoc



7  
vel illo superiore iudicata simul de commodis & incommodis omnibus, qui eum statum sequuntur iudicatum jam multò ante esse intelligatur. Quarum vulgò, uti thes. 18. indicavimus, enumerantur tres, cujus ultimi duæ sunt partes: Una, qua agitur inter uxorem & maritum, de partu mulieris pro legitimo partu agnoscendo: Altera, qua agitur inter duos, quorum unus se patrem dicit, alter negat & contra. Præjudiciales dictæ, quia sententia lata in una præjudicium & exceptionem rei iudicatæ parit in alia & uti instituuntur, ita id præstant. Quare in hoc §. de eo præjudicii genere tractatur, quod circa statum personarum versatur. Cujus præjudicii definitionem vide in Wesenb. Instit. hîc.

23. Huic thesi vicina est non minus ardua quam anceps quaestio: Utrum ad eundem quem pater sequi tenetur modum in subministrandis alimentis filio egenti & contrà, frater fratri obstrictus reperiatur? Imper: ejusque alleclæ quaestionem hanc simpliciter affirmativè defendunt ex Auth. *si pater. C. divortio facto apud quem liberi educ. deb. in fin. secund. gloss. post text. in l. qui filium. 4. ff. ubi pupillus educari deb. l. mutus. 73. ff. de jure dot. l. 3. C. de alendis lib.* Verùm ego cum iis facio seu sentio qui distinctè asseverant, fratrem tum demum obstringi si ejus consilio frater ad paupertatis onus perveniens obtemperavit, aut ex fratris bonis antè aliquid emolumentum sensit, quàm ad paupertatem redactus est, secùs si indigens divitem priùs vel factis vel verbis læserit, aut oblatum in tempore ejus auxilium recusaverit, aut ingratus extiterit. Nam ingratitude tollitur naturæ debitum, ut colligitur ex text. *cap. optimè. 27. vers. Hoc autem Novell. 27. de Nupt.* & generaliter ex quibus causis quis exhereditari potest, ex eisdem etiam alimenta denegari possunt. *l. fin. junct. gloss. ibid. C. de alend. lib.*

Explic. §.  
14. & 15.

24. Superius thes. 14. tractavi quænam vocetur actio personalis, cupio nunc indicare cui competat, Ei videlicet, qui rem sibi debitam ex obligatione petit, non autem ei qui rem suam jure dominii persequitur, nisi quis fortè à fure ipsius odio rem suam condicat, ob id, quia actio personalis potissimum in eum datur, qui ad dandum est obligatus: dare neutiquam is intelligitur, qui rem præbet, quæ jam ante actoris est, quod enim semel meum est amplius meum fieri non potest. Actiones in rem vocantur vindicationes à vendicando, i. e. appropriando, si ve res quæ petuntur, sint corporales, si ve incorporales. In personam verò actiones dicuntur conditiones à condicendo.



dicendo. l. 25. in princ. ff. de Oblig. & Act. Condicere idem est quod denunciare. De Jure enim antiquo si quis debitorem judicio convenire volebat, necesse erat, ut prius ei condiceret, i. e. diem ex commodo & arbitrio suo condiceret, i. e. denunciaret non expectato in eo Judicis jussu. Wesenb. in Instit §. 15. hic.

25. Illud dubitatione non caret: An jus hoc condicendi antiquum nostro etiam tempore observari debeat? Observatum volunt Coras. lib. 4. miscellan. cap. 7. Myns. ex sententia Oldendorpij ad §. Instit. 15. n. 8. hic, per l. debitores. 10. C. de pignor. & l. quidam Hiberus. 13. ff. de servit. urb. prad. Contrariatur Cujac. lib. 16. observat. 7. & lib. 5. observ. 31. Schneid. ad §. 1. ht. n. 122. Wesenb. ad §. 16. ht. Bocer. class. 5. disp. 9. thes. 33. lit. b. unanimiter statuentes posse hodie debitorem in jus vocari non commonitum, & nulla facta interpellatione extrajudiciali, quibus assentior.

26. Cum jam ab initio abunde dictum sit de duabus tam ex causa efficiente quam materiali descendentes actionum divisionibus, congruo ordine ad tertiam illarum divisionem ex causa finali petitam procedimus. Causa finalis est, ut quis jus suum legitime consequatur, ad quod obtinendum quaedam rei, quaedam pœnæ persequendæ gratia, quaedam mixtæ ab Imperatore comparatæ sunt actiones. Quæ sint actiones rei persecutoriæ Imperator satis dilucidè declarat per exempla subjecta, ut non sit opus diu morari ad hunc locum, propterea paucis rem expediam: Rei persequendæ gratia comparatæ sunt omnes in rem actiones: Omnes actiones in personam ex contractu, excepta depositi & redhibitoria: Depositum quidem ex his causis, si quid incendii, tumultus, ruinæ, naufragii causa depositum sit: nam tum in duplum datur sive cum depositario sive cum hærede ejus de dolo in re deposita agatur. Redhibitoria & ipsa in duplum adversus eum qui redhibenti morbosum mancipium precium non reddit & cetera quæ ex hac causa reddi oportet. Ex maleficiis actiones personales quæ aut ex furto; aut vi bonorum raptorum; aut damno injuria dato: aut injuria; omnes pœnæ persecutionem habent: excepta actione rerum amotarum & condictione furtiva. Actio autem vi bonorum raptorum ob id mixta dicitur, quia dum quadruplum ea petitur, res ipsa rapta inest & præter eam pœnæ loco triplum exigitur. l. 2. §. 1. ff. de vi bonor. rapt. Actio Legis Aquiliæ mixta quoque dicitur, quia si reus conventus neget se damnum dedisse & deinde convincatur, tenetur in duplum, l. 23.

§. 10.

8

Explic. §. 16. 17. 18. & 19.  
Causa actionum finalis & ex hac 3. divisione in Res vel pœnæ persecutorias & mixtas.

§. 10. ff. ad Leg. Aquil. Cujus simplum est res, reliquum est pœnâ. Ex quasi contractu omnes rei persecutionem habent, unicâ legati aut fideicommissi excepta, ejus nomine quod relictum est Ecclesiis aut aliis venerabilibus locis: hæc enim mixta est, utpote in duplum. Ex quasi autem maleficio omnes sunt pœnales. De ceteris in rem per-

Explic. §. 20. remis-  
siv.

sonamque mixtis superius dixi.  
27. Gravissima & intricata ex §. 17. denuò sub oritur quæstio: An locator interesse à conductore, non solvente mercedem petere possit? Responderi potest ex l. *præses. 17. C. locat.* Quod sic, contractus si quidem locationis & conductionis est bonæ fidei, in quo venit omne id, quod æquum & bonum est, licet non fuerit dictum.

Explic. §. 21. ad 28. exclusivè.

Causa a  
Actionum  
formalis  
Ex hac  
4. actio-  
num divi-  
sio in sim-  
plum, du-  
plum. &c.

28. Subjicitur Causa Actionum formalis, quæ olim in impetratione & compositione certisque verborum formulis consistebat, unde & formulæ ipsæ actiones vocabantur *Vlpian. tit. 25. Paul. lib. 3. tit. 3. tot. tit. C. de form. & impet. act. sublat.* Hodie sufficit congruentem & aptam negotio proponere actionem etiam nullo certo nomine expresso. Ex hac causa formali tanquam quantitate petitionis quarta generatur actionum divisio, nam quædam dantur vel in simplum, vel in duplum, vel triplum, vel in quadruplum, nec ulterius extenditur ulla actio, nisi quod Lege Mosaica furtum bovis quintuplo punitur, *Exod. 22.* In simplum sunt omnes actiones quæ rei persecutionem continent. Ex iis quoque quæ pœnæ persecutionem habent ex, in quibus certa pœna ac definita lege comprehensa est in simplum. In duplum agimus actione furti nec manifesti: damni injuria ex L. Aquila: depositi ex quibusdam causis: Servi corrupti: ex Legato locis venerabilibus relictis. Tripli olim unica tantum actione agebatur, sed hodie nullam talem esse testatur *Wolff. in suis Erotem. tit. de act.* In quadruplum agitur actione furti manifesti: in factum ex edicto adversus calumniatores: actione quod metus causa: condictione ex Lege contra executores litium, & bonorum raptorum. Calumniator hic dicitur is qui pecuniam accipit, ut alteri immeritò negotium faceretur vel non exhiberet. Vel qui sciens prudensque per fraudem, litem vel controversiam alteri facit, ut eum vexet, vel ut ei aliquid extorqueat *Cujac. in par. ff. ht.*

29. Major est disputatio: Utrum jurati Procuratores nullâ præscripta (uti vocant) Taxâ pro singulorum velle salaria sibi constituere & illasâ conscientiam à partibus exigere possint? Proaffirmativa

9  
mativa quidem simpliciter statuerem cum utilitatem respiciat eorum, quorum malevolentia angue pejus vitanda est. Sed quia ita in gratiam hominum loqui oportet ne Dii offendantur, néve Justitia lædatur, tum demum exigere posse concedo, si habeatur ratio officii præstiti, personarum, sique exigendi modus non excedatur, labor enim non debet esse sine mercede, ut est text. in cap. ne autem. 9. Novell. 83. de iudicib. l. 1. §. in honorariis. 10. ff. de variis & extraordin. cognit.

30. Quinta actionum divisio ab ipsarum Natura & qualitate introducta est, quædam enim sunt Bonæ fidei, quædam stricti juris, & quædam Arbitrariæ. Bonæ fidei actio dicitur in qua liberum est iudici æstimare inter litigatores, quod alter alteri ex bona fide præstare oporteat, atque hinc ex re nomen non ex formula. Dictæ bonæ fidei, non quasi aliæ sint malæ fidei, sed bona fides hic accipitur pro largiore jure quod ex illis emergit. Zaf. in §. actionum autem. 28. ibiq. Schneid. cum Wesenb. Actio rei uxoriæ olim bonæ fidei fuit, verum nunc abolita est & in ejus locum successit actio ex stipulatu pro dote, quæ & ipsa bonæ fidei est. l. 21. ff. solut. matr. Surrogatum enim sapit naturam ejus cui surrogatum est. l. surrogatum. ff. de R. I. Quæ actione petit maritus dotem vel nudè vel verbis solennibus promissam à promittentibus. Quando & à quo verò uxor quæ dotis causa multa habet beneficia, nimirum tacitæ hypothecæ & prælationis, exigere possit. vid. l. unic. C. de rei uxor. act. Contra quam exactiorem maritus privilegio competentia se muniri valet.

31. Posthæc à Justin. Imper. hodiè constitutum est, ut compensatio sit liquidi cum liquido, minuatque ipso jure tam actiones in rem quàm in personam, & quascunque alias l. ult. C. de compensationib. Cujacio in par. ff. de compensat. Compensatio est per æris sui computationem ab ære alieno liberatio. Non tamen in solo ære locum habet compensatio, verum etiam in omnibus rebus fungilibus veluti: oleum pro oleo, vinum pro vino, frumentum pro frumento, interim ejusdem requiritur ut sit bonitatis, quod & in numerata pecunia debet obtinere, ut eadem bonitas in materia monetæ detur, quamvis diversa sit forma. Quæ res possint compensari vide l. 5. 6. 8. & 9. l. 11. 15. & 21. ff. de compens. Nam in omni pecunia non potest compensari, veluti in deposita & alia quadam clenodia. Quod adeò verum est ut nec depositum cum deposito possit compensari. l. ult. §. 1. C. de compensat.

Expl. §. 28.  
Natura &  
qualitas  
actionum  
& ex hac  
§. divisio  
in actiones  
bonæ fidei,  
stricti juris  
& Arbitra-  
rias.

Expl. §. 29.

Explic. §.  
30. & 39.

32. Reliquæ stricti juris dicuntur omnes, quæ in actionibus bonæ fidei non recensentur argumento ab enumeratione sufficienti, nihil enim amplius in his cognoscit & pronunciat iudex, quam quod nominatim inter contrahentes conventum est. *l. quia tantundem. 7. ff. de negot. gest.* Unde pro dogmate generali observandum tradunt: Hæc actio stricti juris est, quia inter actiones bonæ fidei non numeratur. *Myns. Instit. hic. §. actionum autem.* In quibus iudex præcisè est adstrictus de actione in iudicium deducta pronunciare secundum naturam actioni istæ à lege vel à jure datam. *Herm. Vultej. in Iurisp. Rom. lib. 2. c. 4.* Da der Richter seinem gemessenen Bevelch nachgehen muß.

Explic. §. 31

33. Actiones arbitrariæ sunt, quæ licet naturâ suâ non sint bonæ fidei sed stricti juris, tamen non stricti juris formula, sed arbitrio iudicis ex æquo & bono propter probabiles causas expenduntur, illas recenset *Herm. Vultej. in Iurisp. Rom. lib. 2. cap. 4.*

34. Hic non iniquè indagatur quomodo explicanda veniant verba: APUD JUDICES ARBITROSIVE? *Cujac.* intelligit per JUDICES, illos coram quibus stricta iudicia discutuntur: ARBITROS, bonæ fidei negocia. Ego in hoc præfero sententiam *Myns.* qui vocabulum JUDICES exponit de quibusvis, ARBITROS de iis, in quos partes compromiserunt.

Expl. §. 32.

35. Porro quacunque actione agatur, certam iudex sententiam ferre debet, etiamsi de incerta quantitate apud eum actum fuerit. Incerta siquidem sententia ipso jure inutilis: neque hic ulla actiones excipimus, siue bonæ fidei sint, siue arbitrariæ, nedum eas quæ stricti juris. Hæc tamen ita, si quomodo res petita certam admittat sententiam. Quod si non ferat nisi incertam, necessitati parendum est, & tum etiam incerta sententia valebit.

36. Dixi paulò antè de prælatione mulieris ratione dotis, valebitne igitur illa prælatio in creditore expressam hypothecam habente? Valebit, propter expressos textus in *l. ubi adhuc. 29. & l. in rebus. 30. C. de jur. dot.*

37. Ad hæc proficuum esset notas actionum bonæ fidei, stricti juris &c. intrinsecas seu essentielles vel extrinsecas & accidentales recensere, nisi à recensione mea vocaret studium brevitatis, necessum itaque erit eas adeoque multa egregia omittere seque quamprimum ad §. *Instit. 33. & seqq.* conferre. Qui in se comprehendunt actionum variationem, quæ fit *l. Emendando*, idè, vel in QUANTITA-

Explic. §. 33. 34. & 35.

TITA.

**TI TATE**, quo casu si petitum fuerit aut plus quam suum sit, sibiq; debeatur, non valet intentio, plus autem petitur 4 modis: Re, Tempore, Loco & Causa. Si petitum fuerit minus sine periculo est, condemnatioque augeri potest. Vel in **QUALITATE**, & regulariter admissa est emendatio. Vel in **RE**, ut si aliud pro alio fuerit petitum, & regulariter absque periculo licet errorem emendare. II. Corrigendo, ut si quis velit aliam actionem pro alia intentare actionivè præpositæ aliam adjicere, de quo plenè DD. in l. edita. 3. C. de Edendo.

38. Quæ dicta eliciunt quæstionem: An cupiens mutare libellum, id impunè possit facere, an verò teneatur Reo ad expensas indebitæ fatigationis? Prius nego, Posterius affirmo, quia si impunè liceret abire, per istiusmodi libellorum mutationes rei diu circumduci & causæ decisiones impediri possent.

39. Procedamus ultrà ad actionis effectum qui multiplex est, nam ad eam cogitur pars adversa respondere, Auth. offeratur. C. de litis contest. Judex secundum eam, si probari potest, pronunciare, alioqui litem facturum suam: l. fin. C. de fideicommiss. libert. Bald. & DD. in l. prolatam. 4. C. de sententiis. Item ea proposita interruptit præscriptionem. l. fin. C. de præscript. 30. annor. l. mora. 26. ubi DD. C. de rei vindic. Et quid multa? nemo persequendo deteriorem causam suam facit sed meliorem. l. nemo, § 7. ff. de R. I. A quo effectu desumpta est sexta actionum divisio, nam quibusdam actionibus consequimur aut solidum ut in omnibus ferè actionibus, aut non solidum, idque l. ratione rei, unde solvendum est, ut in actione de peculio, nam pater vel dominus nomine servi vel filii conventus Non in plus quam in peculio est, condemnare potest: Reliqui nomine cavere non tenentur, quamvis aucto peculio iterum conveniri possit: & quod plus suo nomine solvit, repetere potest, non enim suo nomine ab initio plus quam in peculio est, debet. II. Vel ratione Retentionis, ut nomine sumptuum vel impensarum vel compensationis. III. vel ratione privilegii personæ, quæ convenitur, ut quia in id tantum quod facere possunt, exigi debeat, quales sunt Parens, si à liberis conveniatur, Patronus si à libertis, Maritus in judicio de dote, Socius, Donator & Debitor qui bonis cessit. Dicitur autem creditor bonis cedere, quando bona sua spontè creditoribus relinquit iisque exit. quo factois duobus gaudet beneficiis, 1. Ne conjiciatur in carcerem, aut si conjectus sit, liberetur. Zas. & Myns. §. ult. hinc. 2. Re-

Explic. 5.  
36. 37. 38.  
& 40.  
Effectus a-  
ctionis  
ex hoc 6.  
actionum  
divisio in  
solidum  
non soli-  
dum.

versus ad aliquas fortunas non excutitur in solidum, sed in quantum facere potest, tenetur. Certè hoc ipsorum auxilium miserabile est, *l. fin. C. qui bon. ced. poss.* & quamvis jure nostro civili qui bonis cedunt, infamia non notentur, scimus tamen, quod hodierna consuetudine ab hominum penè cœtu & consortio excludantur, nemoque eos alloquio dignetur. Inter honestos quidem ita est, sed in maximis illis Europæ Emporiis, ubi cum mercibus omnia sunt venalia, parvi ducitur, nihilque in dies fieri frequentius videmus, quàm ut mercatores non rarò proditissimis habiti bonis cedant, *auff gut Deutsch / Bancrott machen.* O pudendum illud nomen, ut pudeat quoque nos diutius in hac materia versari, remittendo ergò Lectorem ad latiora commentatorum volumina propero ad numerum.

40. In qua solummodo investigatur: Utrum debitor qui bonis cessit, possit cessionem factam revocare? Sunt qui mordicè idè negare conantur, ne dum creditores spe revocationis sive pœnitentiæ lactantur, rebus creditoris interim aut priventur aut in totum fraudentur. Ego cum *Jasone, §. fin. hic. num. 23.* sentio posse, si res adhuc sit integra & bona per debitores nondum occupata.

*Actiones  
ex Subje-  
cto & Ad-  
juncto.*

40. Propositis his ex effectu desumptis actionibus addi deberent actiones quæ ex subjecto & adjuncto proficiscuntur, quales sunt ex quæ in hæredes transeunt vel non: perpetuæ sunt aut temporales. A' DD. recensentur nonnullæ ordinariæ vel extraordinariæ: aliæ directæ, aliæ contrariæ: & alio sensu quædam directæ, quædam utiles: quædam præparatoriæ, aliæ principales: aliæ nativæ, aliæ dativæ, &c. in *l. jurisgentium. 7. §. quinimo. ff. de pact. nisi ingrata temporis angustia id ipsum dissuaderet.* Proinde sufficiat obiter eas tetigisse de quæ actionum causis eousque dixisse.

*Quibus  
competant  
actiones.*

42. Reliquum est ut de ceteris actionum requisitis tractemus & quidem de iis quibus competere possunt actiones. Possunt autem omnes agere, quibusdam exceptis. *l. qui accusare. §. cum ll. seqq. ff. de accusationib. tot. tit. de his qui accus.* præsertim his, qui aut legitimam personam standi in judicio non habent. *C. qui legit. person. aut edicto de postulando. ff. de postulat. aut inopia debitoris excluduntur. l. nam is. 6. ff. de dolomal.*

*Actionum  
partes.*

43. Huc pertinent Actionum partes, quarum tres sunt: Proemium, Narratio & Conclusio: vel (ut volunt DD:) propositio major, propositio minor & conclusio. *Bart. in l. si prius de operis novi*

*nuh.*

*nunciat.* Major est ipsa Juris narratio, quæ apertè & breviter est instituenda. Deinde narratio specialis facti de quo agitur, minoris locum obtinet & appellatur à Jctis *Causa. l. & an eadem. 14. ff. de except. rei jud.* Quod si hæc concludendi causa fuerit inepta, libellus erit ipso jure nullus. *Bart. in. l. edita. num. 1. C. de edend.* Ultima pars est conclusio, quam constat omnino esse necessariam. *l. fin. C. de fideicommiss. libert.* Judex enim non interponit officium, nisi quatenus petitum est. *l. 4. §. hoc autem de dam. infect.* Cujusque forma totam actionem ampliat, restringit & moderatur. *Jason. post Angel. in §. omnium hic. num. 127.*

44. Ceterùm earum rerum nulla datur actio quarum nulla sub est neque sub esse potest obligatio aut domini prætensio per §. *penult. Instit. de noxalib. act.* Atqui ob hanc eandem causam nulla cum servo est actio, veluti refert *Cujac. in l. cum servo. 107. ff. de R. I.* uti neque lis ulla est inter patrem & filium familias excepto uno atque altero casu. *l. lis nulla. 4. ff. de judic. & ubi quisque.* Plura exempla præsto sunt *in tot. tit. ff. quarum rer. act. non datur.* Quid quod omnis actio quamprimùm evanescat, si quando exceptione justa submoveri potest. *Paul. in l. si quis. 115 §. 2. ff. de R. I.* Paria enim sunt non habere actionem, aut habere talem, quæ per exceptionem infirmari potest. *l. nihil interest. 112. ff. de R. I.* *Philipp. Dec. in R. I. 13. num. 1.* Item quando ei satisfactum aut præscriptum, *l. 5. §. ultim. ff. de doli mali & met. except.* aut litigium decreto judicis decisum est.

45. Postremò fructiferum autumo, antequam disputationis meæ vela contraham, quemcumvis actorem generalibus quibusdam fulcire observationibus: 1. Ut si quis contendat agere, certus sit, cum in ejus potestate positum quando velit experiri, ne nondum finito temporis eventu actiones contra *l. 186. ff. de R. I.* instituantur, & ante rem diligenter exploret, quò tunc ad agendum procedere melius valeat. *l. 42. §. ult. de R. I.* 2. Ut cognoscat quo auctore jam diu animo voluta revolutaque actio introducta sit. 3. Ex qua causa. 4. Cui detur & adversus quem. 5. An porrigatur ad hæredes. 6. Quid in eam veniat. 7. Quamdiu concedatur. 8. Quid spectandum sit judici quid litigatoribus. 9. Anne sint ad finia remedia quibus uti possit. Quæ omnia colligi possunt *ex tit. de pet. heredit. Rei vindic. commodat. pign. act. mandat. deposit. act. Empt. locat. & simil. tract.* Hæc enim qui ignorat, quibus, quæso, modis feliciter acturus

*Quarum rerum non datur actio, ejusque contraria & quomodo evanescat.*

rus est causam suam? Scire autem nemo potest, nisi qui singulariter actionum circumstantias rectè tenet, quoniam per omnes actiones variantur, & naturam obligationis unde existunt, percipit. Wesenb. in paratit. ff. depositi vel contr. num. 1. 10. Et quia neminem fugit ad instituendam actionem tritissimam viam esse Citationem, unicam in una causa hodie sufficere, adque evitandam præscriptionis objectionem utiliore eam existimant quæ charta insinuatur illâ quæ per viatores curiæ seu apparitores annunciatur, qui postremus modus Francofurti communis: prior ut melior in Frisia Orientali & Occidentali multisque aliis finitimis regionibus receptus est. Quamlibet tamen citationem non in quovis loco, sed in foro competentis petere ac concedere fas est, & cum dicitur ibi forum esse competens ubi res est, sic à citaturo exaudiri debet, si reus ibi inveniatur, alioquin iniquissimum esset ex domicili loco extrahi eum ad locum quo res sita est, quia non sine magno detrimento à rebus nostris revocamur. Cujac. par. ubi de hered. ag. Adjectis nunc generalibus præceptis acquiesco hujusque discursus cursum in eodem, unde orta est, Sanctissimo nomine finio,

Pro his itaque

*Gloria sit Patri, sit CHRISTO gloria, Sancto  
Sitq; Paraceto, secla quousq; manent.  
Sum minor indignusque tuis Pater optime tantis  
Muneribus, præstat quæ tua dextra mihi.  
Fac horum semper memor ut tibi grata rependam  
Officia, Et profint hæc tua dona aliis.  
Et sic dum vitam, dum Spiritus hos fovet artus  
Carmina grata canam, laudes moriendo sonabo.*






ter  
nes  
nb.  
ad  
am  
je-  
ua  
no-  
i &  
est.  
m-  
esse  
ve-  
um  
bus  
ne-  
m,

72





Ac

IN



ULB Halle  
005 714 745


3



VD17







DISCURSUS ACADEMICUS  
INAUGURALIS

30 1.  
Sup. 11  
XIX  
1642, 1.

Ex  
Tit. 6. lib. 4. Inst. Imp. Justiniani,  
De

# ACTIONIBUS.

*Quæ*  
AUSPICIO  
SACROSANCTÆ TRIADOS  
*Ex permisso & Autoritate*  
MAGNIFICI, NOBILISSIMI ET AM-  
PLISSIMI ICTORUM ORDINIS IN CELE-  
BERRIMA ARGENTORATENSIIUM  
UNIVERSITATE.

*Pro Licentia summos in utroq; jure honores Doctores &  
privilegia, ritè sollemniterq; consequendi.*

Publicè in Auditorio Novo, mense Junio,  
diebus VI. & VIII, instituit

JOHANNES JACOBUS AGRICOLA,  
SPIRA NEMES.



ARGENTORATI,  
Imprimebant PAULI LEDERTZ p. m. Heredes.

M. DC. XLII.

